

**Rector Universitatis Rostochiensis Augustus Varenius. D. ... ad Exequias quas ...  
Dn. Johannis Amselii, Philosoph. Magistri ... solemnes parat Omnes omnium  
Ordinum Cives Academicos, ea, qua fas est, autoritate & humanitate invitat :  
[P.P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus d. III. Maii A. O. R. cl Ic LXXII.]**

Rostochii: Kilius, [1672]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742725626>


Druck Freier  Zugang




Varenius, A.,  
in J. Amsel.

R. 1672.

24.







23.

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
AVGUSTUS VARENIUS. D.

Serenissimorum Ducum Mekleburgico-  
Consistorii Assessor, Director, & Pro-  
fessor Theologus,  
ad Exequias



quas  
LARISSIMI VIRI

DN. JOHANNIS  
AMSELII,

Philosoph. Magistri fulgidissimi, SS. Theol.  
Cultoris laudatissimi

Postquam Spiritus rediit ad Deum, qui dederat illum,  
pallido nunc exanimoque Corpori

Moestissimorum Fratrum Triga

*hodie horâ I. postmerid. in Templo Jacobao solennes  
parat*

Omnes omnium Ordinum Cives Acade-  
micos, eâ, quâ fas est, autoritate & humanitate  
invitat.

*Hieron. Epist. ad Theod. in funere fratris Lucinii Episcopi Batavi*  
Non fas illorum vicem dolere, quos scimus ad meliora tran-  
sivisse.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr



Anticissimum, fidei, spei, & ardentissimi, quo in coelestis vocationis brabejum, scopum versus fertur, ea quidem, que à tergo sunt, obliuiscens, ad ea verò qua à fronte sunt, contendens, desiderii monumentum est, quod in ipso *Cantici Canticorum* limine, totius militantis Ecclesiæ nomine, Amicarum Sponsi pulcherrima, inter spinas ipsa lilium, tale sibi condidit: *Introducet me Rex in penetralia sua (ubi) in Te (ò Rex!) exultabimus & gaudebimus celebraturi amores tuos prae vino (&) excellentissimè dilecturi Te.* cap. I. 4. Non agnoscit cum *Diagona Melio*, cui peculiare cognomen Athei apposuit antiquitas, ubi hic conclamatum de se foret, totam morituram, ipsaque sic anima perituram sese, non, siue in æthere dormituram, cum *filiæ Platonis*, siue in aere cum *Ario philologo*, siue circa lunam cum *Endymionibus Stoicorum*, non, siue in lacteo circulo commoraturam, cum *antiquis Gentilium Sophistis*, non, in pluviarum, fulgurum, tonitruumve regione hæsuram, vel plus ultra inter stellarum globos ævo suo perfruituram: sed nec in *abditis receptaculis communiisque cum animabus infidelium custodiâ se detinendam*, & adusque novissimi iudicii diem sequestrandam, cum *Lactantio* (I. 7. *divin. instit. c. 22.*) *Augustino* (in *Euchiridio c. 109.*) pervasa fuit, multò minùs *πνευματικῶν* s. *Purgatorium Papisticum*, commentum Poeticum, non dogma Propheticum admisit, vel de ipsius corporis sui resuscitatione ac transformatione pulcherrima, ad gloriam usque corporis *Dilecti, candidi & rubicundi*, desperavit, vel prout, cum aliàs, tum epist. 63. *Seneca de immortalitate animæ*, ipsa, siue de illâ, siue de futura resurrectionis beatæ gloriâ, dubiè trepideque pronunciauit, quæ & *penetralia Regis, jubilis, plausibus, & exultationibus Angelicis* augustissima, illa gloriosissima Regis palatia, sibi in lucidissimum habitaculum deputanda memoravit, & ut fidem ipsiusque spei inexpugnabile, quod mente fovebat, munimentum testaretur, de futurâ possessione illorum

penet-

*penetrabilium* utut à mortalibus oculis *remotissimorum*, (& adeò verè חררים) *secura* laetaque, ex Idiōtismo S. Spiritus Prophetico, *præterito*, quod futurum tantà ipse tenebat, *tempore* signavit, ac velut jam possessionem consecuta, & ex militante in triumphantem proventa, proclamavit illud: *הביאתי jam introduxit me*. Quin nec in fulgidissimis illis Regis coelestis penetrabilibus, ἀρκωσιν sibi seu stertorem prodigiosum, sine reminiscendi facultate, sine vitali actu, cum Psychopannychitis & Socinianis Atheis, ipsi animæ vitam omnem, ipsi autem, quod cecidit, corpori resurrectionem abjudicantibus, præcinuit, quæ & seipsam illà ipse, quã tunc *inter spinas* Rose florem suum. *Rose Saronis & Lilio convallium* consecrabat, animã, illo ipso corpore, *introducitur* in illa, quæ oculus non vidit, quæ auris non audivit, quæ non solum non hominum: sed nec Angelorum intellectus comprehendere potuit, Regis Penetrabilia, μηδεν διακωμωμένη asseverabat, (introducet ME) & in illis *penetrabilibus* tria sibi, nullius ambigua fati, triumphali plausu promittebat sc. (1) *gaudium & exultationem consumatissimam*, in illo Φιλανθρωποπατία Rege, quem *diligunt Virgines* (2) *commemorationem Eucharisticam & celebrationem amorum Panegyricam* (in panegyri. sc. illà S. Angelorum & Primogenitorum triumphantium, quam repræsentat Apostolus Hebr. XII. 22. 23.) *amorum*, inquam, Regis s. *primogeniti ex mortuis & Principis Regum terræ, qui dilexit nos, & sui sanguinis παυσίμως lavit à peccatis* (1. Pet. I. 2. Apoc. I. 5.) denique (3) *illius, cujus amores omni vino dulciores experta erat, dilectionem reciprocã, absolutissimam* (מישרים) & *charitatem* adeo (quæ, ubi prophetiæ evanescent, ubi lingua cessabunt, ubi fides & spes desinet, sola perennabit, & in ævum omne ibit I. Cor. XIII. 8. 13.) *flagrantissimam ac perfectissimam*, quæ omnia pro sanctioris indole linguæ adciendum designandumque πῶς ἡ ipsa sermonis ἀποστοφῆ pulcherrimè circumscribuntur. Et sanè Christianæ fidei, vitæ, totiusq; Theologiæ scopus est *immortalis illa vita & in hac triumphalis Ecclesiæ gloria*, fruituræ conspectu & consuetudine magni Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, ad quam, & simul hinc excessum fuerit, ipsa anima nuptiis Agni dignanda, & in die novissimo quoq; adunatum animæ corpus, peccato, ipsaque adeo morte, velut *ultimo hoste*, penitus abolitis, eodem glorioso resurrectionis & judicii Oecumenici die transferetur, ubi inter tubas Angelicas exaudietur illud admirandum quod inter exultationes & plausus, sibi promittebat *feminarum pulcherrima, Epinicion: Absorpta est mors ad victoriam. Ubi tua, ô mors, victoria? Ubi tuus, ô inferne, aculeus? DEO autem*

*antem sit gratia qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM!* I. Cor. XV. 26. 54. Neq; alio fine commemorat Cratrix in Cantico, illa, quæ introductioni in penetralia pulcherrimè præmittit, Regis beneficia. Quorsum enim, quod *verbis vitæ æternæ, ad abundantissimam usq; Spiritus Christi communicationem, sic, ut, prout in Osculis amantium, (quæ cum amoris fundamentum veteres sapientes putarent, basia Græcâ voce nominantur) duo Spiritus sunt unus, ita quoq; amica Christi, dum Domino agglutinatur, unus cum eo fiat Spiritus* (conf. I. Cor. VI. 17.) *adspirari Sanctissima Collocutrix desiderat?* Cant. I. 2. Quorsum, quod ex immensâ inunctione *Dilecti, influxum in se donorum & gratiarum S. Spiritus fragrantissimarum commemorat v. 3. ? Quorsum, quod & SPONSUS trahat* (illa sc. tractione cœlesti, *sine quâ nemo potest currere s. venire ad Christum Joh. VI. 44. Hof. XI. 4. funiculis humanis traho eos, densis funibus amoris*) & ipsâ dilectâ sic à SPONSO tractâ, *pone Sponsum currat & inde intonet: Trabe me! post te curremus. v. 4. ? Totum fanè illud, ut æternum illud immortalitatis & beatitudinis decus naturæ humanæ, lapsu primorum hominum amissum, Filii Dei morte & resurrectione recuperatum in nobis instauraretur, atque ipsa Ecclesia in penetralia illa Regis introducta, inter plausus & exultationes, amores Redemptoris, ut immarcessibili coronâ vel amaranto Sponsam coronaret, spinis Coronati, æternum veneraretur. Ad hunc velut ultimum scopum, quem in Symbolo profiteamur: Credo carnis resurrectionem, & vitam æternam, omnes fidei articuli, omnia beneficia Dei Filii, ipsa incarnatio, mors, resurrectio, ἀπολύτρωσις s. redemptio, totumque ministerium Evangelii, & Sacramentorum, quæque per hoc expeditur vocatio, justificatio, sanctificatio collimant, quorum sive consumatio, sive plena revelatio tunc demum sese exeret, cum in penetralia Regis introducti, ipsaque adoptione s. redemptione corporum nostrorum, consumatæque sic libertate gloriosâ filiorum Dei donati, Rom. IIX. 21. 23. peccato deleto, abolitâ morte, sublatis omnibus miseriis, clarâ & illustri luce, vitâ & gloriâ æternâ fruemur, & perfectè renovati s. legi divinæ conformati, inter subila & plausus, amores & beneficia filii Dei celebrabimus, ac illum, qui ab æterno gratis nos acceptos sibi effecit in dilecto, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, Ephes. I. 6. 7. purissimè flagrantissimeque diligemus. Neque ex alio magis fonte inter ipsos solis sese adurentis, miserrimeque lacerantis estus (unde, ut uter intus illa decore, sicut fulgidissima Salomonis aulea, externâ tamen specie nigram sese ad instar ventriorum Arabicorum vel Cedarenorum lamentatur) inter Fratres, vel ipsos domesticos excandescens v. 5. & 6. inter quascunq; (vel ipso Dilecto non ex æquo semper gratiæ radios luculentos eiaculante, &*

Ubi


Ubi pascat, gregemve ducat, ostentante v. 7. ) calamitates firmamentum suæ  
perseverantiæ præsumit ipsa *Lilium inter Spinis*, quàm ex illo, quem tam  
magnificè commemoraverat, beatæ immortalitatis & resurrectionis articu-  
lo, quo præcipuè ac firmissimæ, in omnibus fugacissimæ & miserrimæ, hujus  
vitæ ærumnis, & ipso supremo agone consolationis, potentissimo argumen-  
to, vereque *galeâ salutis*, munitus olim summus in cinere Theologus, Jobus,  
collocutoribus Aristarchis acclamavit: *Frustra dicitis, quàm persequemur  
eum! quia radix verbi est in me.* Illa sc. radix: *Ego novi Redemptorem  
meum vivere.* *Ego ex carne meâ visurus sum Deum: hi ipsi Oculi mei  
videbunt redemptorem Deum!* Job. XIX. 25. 26. 27. 28. quam ipsam radicem  
verbi jam antea c. XVII. terribili mortis schemati v. 12. 13. *Sepulcrum est Do-  
mus mea: in tenebris (mortis) straturus sum stratum meum. Foveam ap-  
pello, Patrem meum: Matrem meam & Sororem meam vermes,* oppofuerat  
v. 14. 15. *Ubi, ubi est expectatio mea? & expectationem meam* (illam quam  
anxiè desidero & exipecto *Ἰνὸς ἀδελφῶν* magni Dei ac vitæ æternæ glori-  
am) *quis videbit?* (Non sanè alienus extra Testamentum & *ἀπολύτρωσιν*  
illam & *ῥαντισμὸν* sanguinis, suâ culpâ & rebellionem positus) *Descendent*  
(aliquando in die sc. novissimo) *vectes sepulcri* (nec adeo semper ero in statu  
mortis) *quando pariter* (coadunatâ sc. Corpori animâ) *super pulverem erit*  
(beatâ) *requies* (& adeo, plenaria ab omnibus, quæ antea corpus miserè  
affligebant, ipsique Animæ molestiam longè maximam afferebant, malis, *libe-  
ratio*) Neque aliter omnes alii Sancti Martyres, pii omnes, qui benè præ-  
parato ex his sacris pectore, supplicia, cumulatissimasque hujus brevissimæ  
miserrimæq; vitæ ærumnas fortiter pertulerunt, fide prospicientes portum  
ærumnarum omnium exoptatissimum, in quo ex favissimis vitæ hujus pro-  
cellis, ipsaque morte eluctati, tandem suavissimè adquieverunt. Sed nec bea-  
tissimo nunc, Civi olim nostro fulgidissimo, DN. JOHANNI AMSELIO,  
Philosoph, Magistro Clarissimo, per annos omnes, quos a. O. R. cl. lxxc XXX.  
21. Aprilis d. Veneris post septimam meridianam natus, & nu-  
per d. XXX. Aprilis horâ I. matutina Cælo redonatus, circiter,  
42. mortalis exegit, aliud votum desideriumque sedit, nec quicquam adole-  
scentem illum, juvenem Virum, ad cursum veræ pietatis in hæc vitâ sedulo ur-  
gendum, ad diligentiam ac studium rectè discendi doctrinam de magno DEO  
& redemptore nostro Jesu Christo, DEOque τῷ Θεῷ grata dicendi & fa-  
ciendi, acrius inflamavit, quàm spes illa beatâ vitæ ac consuetudinis cum DEO  
æternæ, vel illa, quæ omnibus *Illustrem DOMINI adventum verâ fide  
desiderantibus in cælis reposita est justitiæ Corona* 2. Tim. IV. 8.  
)ο( 3 Patrem

Patrem veneratus est Virum Eximium & Præstantissimum JOHANNEM AMSELIUM, Amplifs. Ordinis Jctorum Secretarium &c. Hominem, antiquâ virtute & fide, Matrem lectissimam sui que sexus virtutibus decoratissimam ANNAM Lûbbechen/quæ nuper intervallo sic satis exiguo, Annorum vitæque satura, placidâ beatâque morte, Filium ad meliora mox festinaturum antecessit. Avum paternum habuit ANDREAM AMSELIUM, instrumentali Musicâ, quâ Amplissimo hujus urbis. Senatui studium accommodavit, celebratum. Aviam paternam, MARTAM Nisdermans. Avus piè defuncto maternus Cœli beneficio obtigerat Vir Nobilissimus & Consultissimus DN. GEORGIUS LÛBBECHIUS. Do&. Jctus, & Dicasterii Provincialis Mecleburgici Advocatus solertissimus, Avia materna WENDULA Koffen/Matrona, genere, dotibusq; mentis & corporis fulgidissima. Renatus noster, Infans olim, & à puero, ad omne Filii ingenui officium curâ & exemplo Parentum conformatus, ut & studiorum rudimenta, & imponenda fundamento solidior structura tantò accuratius haberent, initio Scholæ patriæ, sub Clarissimo tunc ludi moderatore M. JEREMIA NIGRINO, deinceps adultâ magis ætate An. cl. loc XLVII Scholæ Lubecensî, & in hac accuratissimis studiorum ipsiusque Adolescentiæ rite gubernandâ Magistris, sollicitis Optumi Patris desideriis & literis est commendatus, sub quorum etiam Oculo in tantum profecit, ut omnium judicio, summâ laude post expletum Lubecæ biennium Scholis Regiis credi commendarive ad sublimiora studia potuerit. Ingressus igitur propitio Numine Witebergam, id sibi negotii dari primùm credidit, ut disciplinis Philosophicis animum pulcherrimè excoleret, cui quidè consilio, cum non deesset publica in laudatissimâ Universitate occasio, quàm principali animi destinatione invigilaverit, quamq; penitus in studia Philosophica incubuerit, redditus inde Patriis Athenis, publico specimine disputationis, & elaboratæ & non sine applausu defensæ Præsîde tunc Viro pl. Reverendo D. JOH. CORFINIO, Profess. publico p. m. probavit: quin ne quicquam in illo studiorum genere deesset, apprime Reverendi DN. D. GOSMANNI, Professoris tunc Physicæ & Metaphysicæ celeberrimi, nunc Ecclesiarum Stralesfund. Superintendentis fulgidissimi, nec minus in Theologicis, tum aliorum Professorum, tum præceteris celeberrimi THEOLOGI DN. CASPARI MAURITII nunc apud Hamburgensî. in æde Jacobæ & Antistitis, olim heic Theologi Professoris & Eccles. Rostoch. Superintendentis splendidissimi, Collegarum quondam & Compatrum nostrorum desideratissimorum, publicæ privatæque informationi totum se credidit, & in linguis ac disciplinis Philosophicis tantum obtinuit, ut anno cl. loc LVII. 22. Octobr. me p. t. Academiæ Rectore, tunc Ampliss.

plis. Collegii Philos. Decano, gradum in Philosophiâ supremum, interque  
Candidatos octo tunc præsentēs, primum, per magna quæ in Examine Ordini  
Philosophorum probaverat, ingenii specimina, locum impetravit. Vocatus  
inde ad Ephori spartam florentissimi cujusdam Mercatoris Hamburgensis  
filiis floridissimis accommodandam, cum stationi illi per biennium nō sine  
laude præfuisset, quin & concionibus ad populū suas, quas magnus *δαροδοτης*  
Deus dederat, dotes iterum iterumque probasset, adita inclytâ Jenensi Uni-  
versitate (excitus jucundissimi Fratris FRIDERICI, in eadem Academiâ stu-  
diorum causâ tunc commorantis desiderio) disputationi de *Causalicatibus*  
*causarum* Præsidentem Anno 1662, d. 22. Nov. non sine totius Orchestræ Aca-  
demicae honorifico judicio dedit. Reversus inde in Academiam patriam, S. S.  
Theolog. studium in primariis delitiis sibi esse, plus vice simplici opere ipso  
testatus, vitam Christiano & SS. Theol. Cultore Veterano dignam, inter se-  
ria pietatis exercitia, citra omne censorium crimen, exegit, ipsique Deo, sive  
ad Ecclesiam sive ad Scholam, sive ad coelestem Academiam Vocaturo, totum  
se submississimè resignavit, cui fixum immotumq; ceteroqui sedebat,  
non per cuniculos & ingeniosos ambitus intrare, vel currere: sed Cœli judi-  
cium expectare, eidemque sese humilimè submittere. Et ipsum quidem  
Consilium cœleste, quod festinare Nostro *piè Defuncto* beatam immortalita-  
tem, voluit, eventus comprobavit. Ex dilectissimæ Matris recentis  
funere in mœrorem doloremve non vulgarem abreptus, ex ipso sanguinis  
copiosiore profluxu mox ingens virium deliquium & *febrim acutam* expertus,  
licet ab Excellentissimo, & Experientissimo DN. SEBASTIANO WURD-  
GIO Doctore & Professore Medico celeberrimo ac Archiatro fulgidissimo  
Collegâ nostro pretiosissimo, abolitum ferme pullum deprehendente, op-  
posita fuerint *cordialia* & *alexipharmaca* selectissima, cum tamen ar-  
tem curamq; *ἀμύμον* & *ἰγτῆρ* omnem, morbi vis, ipsaque extincta ma-  
ximam partem vitæ flamma eluderet, nec obscuris hoc argumentis Noster,  
*piè patienterque Defunctus* præsentiret, totum se maturè ad placidam bea-  
tamque emigrationem composuit, ingens, quo flagraret, *JESUM videndū*  
desiderium, magnâ ad usq; ipsum novissimū agonem, & jam oculis in morte  
natantibus atrâ, voce, iteratoq; illo ex Apocalypsi: Amen! *Veni Domine Jesu!*  
testatus. Nec minore reverentiâ illud *τελεωταύον ἐφῶδιον* s. Eucharisticum,  
quod moribundis ad Deum iter instituentibus (vid. Canon 13. conc. Nicæn.)  
datur, Corporis & sanguinis Christi Sacramentum, operante sacris illis Vi-  
ro pl. Reverendo DN. D. HENOCHO SVANTENIO Verbi Divini in aede  
Jacobæ Præcone, & Professore Theologo excellentissimo, Collega ho-


nostra

noratissimo, & expetivit, & oblatum devotissimè admisit. Atque isto munus-  
 tus Noster & roboratus epulo d. 30. Aprilis hora I matutina abiit, abiit, ipsaq;  
 potiore sui parte ad augustissima illa Regis penetralia, inter excubias  
 Angelicas evolavit. *In Pace factus est locus ejus, & in Sion habi-  
 tatio ejus. Et erit in pace memoria ejus!* Exacta illi per varios ca-  
 sus scena inter mortales, qui nunc in æterna tabernacula receptus,  
 immortalẽ agit vitam inter splendidissimos cœlites. Fruitur pa-  
 tenteliberiq; cœlo, Fruitur Angelorum, quæq; sequuntur Agnum, quocunq;  
 jerit, Virginũ contubernio. Fruitur amantissimi Virginum JESU, conspectu, &  
 illius, Amoris sui, *amores, omni vino suaviores*, inter plausus triumphales cele-  
 bres. Romani, maximus autor Tullius eloquii, C. Cæsarem sic scribentem,  
 ad se, laudat: *M. FURIUM. quem mihi commendas vel REGEM GAL-  
 LIÆ faciam vel Leptæ Legatum. Si vis tu, alium, ad me mitte, quem ornem.*  
 (vid. l. 7. ep. 5.) Tantæ sc. dignationis ille Cajus erat, ut Galliarum  
 regnum promittere & coronare commendatum posset. Nihil vel ipsa florentis-  
 sima Galliarum regna ceteraq; sceptrorum coronarumq; ornamenta, ad  
 illam *τηρημένην ἐν οὐρανοῖς ἀπόθεον* 1. Pet. l. 4. ad quam magis quàm ad  
 Rosæ purpuram univèrsa Salomonis pompa, Regna omnia, & ipsa tria lilia in  
 pallorem verecundiamve dantur. Nolumus, nec per angustiam chartæ ad tu-  
 mulum, quem desideratissimo Fratri, Triga moerentium nunc fratrum, & ut  
 suis, quod merentur, nominibus, honorificè memorentur, Vir Consultiss. DN.  
 ANDREAS AMSELIUS *J. U. Licent. & Acad. Rostoch. Secretarius estimatissi-  
 mus*, GEORGIUS & FRIDERICUS AMSELI, *J. U. Studiosi ingeniosissimi*,  
 parant, plura commentari possumus. Satis minuendo dolori suppetit illis ex sa-  
 crario Domini. Gratulentur sibi, quod Fratrem cœlo præmiserint, qui (prout  
 alicubi Nazianz. Orat. XI.) *supernam Hierusalem veram patriam reputavit,*  
*qui honestè vixit, qui hilaris & cum meliori spe discessit.* Expectat ille nunc Ar-  
 changeli vocem, tubam novissimè personantem, cœli transformationẽ, terræ  
 immutationem, elementorum æstuantium solutionem, totius mundi reno-  
 vationem, plenariam gloriæ Filiorum Dei revelationem. Fruitur, eminentio-  
 re sui parte, illo blandissimo & potentissimo Servatoris voto: *PATER volo, ut  
 ubi ego sum, etiam illi sint, quos dedisti mihi, ut videant gloriam meam!* Joh.  
 XVII. 24. Quod superest, omnes, quotquot, jurisdictionem Academicam  
 agnoscunt, ut ultimum Clarissimi Viri memoriæ honoris officium red-  
 dant & ubi esseretur corpus exequias frequentes eant, eâ quâ  
 fas est autoritate & humanitate, invitamus.  
 P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus d. III. Maij A. O. R. c. l. o. LXXII.  
 Conventus erit in æde Marianâ circa  
 horam I. postmerid.









plis. Collegii Philof. Decano, gradum in Philofophia  
Candidatos octo tunc præfentes, primum, per ma-  
ni Philofophorum probaverat, ingenii fpecimen  
tunc inde ad Ephori fpartam florentiffimi cujusda-  
fis filiis floridiffimis accommodandam, cum ftati-  
laude præfiffet, quin & concionibus ad populū f  
Deus dederat, dotes iterum iterumque probaffet  
verfitate (excitus jucundiffimi Fratris FRIDERIC-  
diorum caufā tunc commorantis defideriis) dif-  
caufarum Præfidem Anno 1662. d. 22. Nov. non-  
demica honorifico iudicio dedit. Reverfus inde in  
Theolog. ftudium in primariis delitiis fibi effe, pl-  
teftatus, vitam Chrifiano & SS. Theol. Cultore  
ria pietatis exercitia, citra omne cenforium crime-  
ad Ecclefiam five ad Scholam, five ad cœleftem A-  
tum fe fubmiffiffimè refignavit, cui fixum immo-  
non per cuniculos & ingeniofos ambitus intrare, v-  
cium expectare, eidemque fe fe humilimè fubmitt-  
Confilium cœlefte, quod feftinare Noftro *piè Defu-*  
tem, voluit, eventus comprobavit. Ex dil-  
funere in mœrorem doloremve non vulgarem ab-  
copiofiore profuxu mox ingens virium deliquium  
licet ab Excellentiffimo, & Experientiffimo DN. SI-  
GIO Doctore & Profeflore Medico celeberrimo a  
Collegā noftro pretiofiffimo, abolitum ferme pul-  
pofita fuerint *cordialia & alexipharmaca* felectiffi-  
tem curamq; ἀμύμον & ἰητήρ omnem, morbi v-  
ximam partem vitæ flamma eluderet, nec obfcuris  
*piè patienterque Defunctus* præfentiret, totum fe n-  
tamque emigrationem compofuit, ingens, quò fla-  
defiderium, magnā ad ufq; ipfum noviffimū agone  
natantibus atrā, voce, iteratoq; illo ex Apocalypfi:  
teftatus. Nec minore reverentiā illud τελωταίων ē  
quod moribundis ad Deum iter inftituentibus (vid.  
datur, Corporis & fanguinis Chriftri Sacramentum,  
ropl. Reverendo DN. D. HENOCHO SVANTEN  
Jacobæ Præcone, & Profeflore Theologo excelle-



interque  
tamine Ord-  
trahit. Voca-  
Hamburgen-  
nium nō sine  
us *δαροδότης*  
Jenensi Uni-  
ademiā *flu-*  
*ausalitatibus*  
chestra Aca-  
triam, S. S.  
i opere ipso  
m, inter se  
ue Deo, five  
ocatur, to-  
qui sedebat,  
Cœli judi-  
m quidem,  
mortalita-  
tris recentī  
o fanguinis  
expertus,  
WURDI-  
igidiffimo  
dente, op-  
amen ar-  
incta ma-  
tis Nofter,  
idam bea-  
M *videndi*  
s in morte  
*mine Jefu!*  
arifticum,  
c. Nicen.)  
is illis Vi-  
ini in æde  
*lliga ho-*  
nora